



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnis Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

12 Aprilis. Pridie Idus April.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](#)

XII APRILIS.

353

S. MARIA, quæ hodie in monte Ser-
rato lumen caco restituisti. Illumina
me, Domina, ut videam, ne sim inter
cacos aeternum!

12 Aprilis. Pridie Idus April.

Sancte Alferi, è Legato regio Ere-
mita, qui à dæmone è monte
altissimo præcipitatus, incolumis
tisisti, hominem saxo obtritum sus-
citasti: oratione tuâ febres, den-
tium dolores, oculorum tenebras
fugâsti; mortuum vitæ reddidisti;
quinque ova multiplicâsti, ut plu-
res homines satiârint; qui centum
viginti annos natus, sexto ante
mortem die, Christum tibi dicen-
tem audisti: *Die Cœna mea venies
ad me;* & abiisti lætus ac felix: qui
post mortem visus Nicolao cui-
dam, casto, sed turpe quiddam,
illusione dæmonum, patienti, dum
sacram synaxim vellet accedere, nec
se per ulla preces, lacrymas, jeju-
nia, à sordibus illis expedire valen-
ti, atque carnis munditiam à Deo
postulanti, dixisti, eum aquâ ex arâ
erumpente lavans: *Vade, quia jam
mundus eris;* & ille, ab eo tempore,
fœda illa immundi spiritûs inqui-
namenta non sensit: qui quendam,

X 3

obtentu

354 ANNI CÆLESTIS
obtentu valetudinis, tempore orationis dormientem, jam tūm mortuus, excitāsti, & veste correptum ad orantes reliquos duxisti. Munda cor meum, & carnem, & sensus omnes: ablue me: excita me ad vigilanter ac sanctè orandum. Impertra mihi à Deo meo vires solidas, & Dei cordi affixum cor, ut hoc velim, quod Deus vult, non verò id, quod præcipitare me volens dæmon, aut caro, vel mundus; atque ita me è lecto mortis meæ ad cœnam vitæ æternæ invitet, ac perducat Rex æternæ gloriae. Amen.

S. Zeno, constans, & ardens Ep. Mart.

S. Saba, sponte tuâ pauperrime qui novis, novisque, iisque immanissimis, suppliciis ferendis, Dei amore dolores temperante, carnifices lastrasti; & cum in aquas injicereris, ardenter exclamâsti: Ecce video, qui me expectant; ut præparatam à Deo justitia coronam capitimes imponant.

S. Victor catechumene, capite plexe, tuōmet sanguine baptizate.

S. Vissia Virgo M.

S. Juli Papa.

Sancti Constantine, & Damiane, Episcopi.

S. Paule,

XIII APRILIS.

353

S. Paule, qui, hoc die, S. Franciscam instruens, de Christo glorio-
so dixisti : *Omnes ardemus amore
ipsius. Dei amor te semper querit, &
facit te ardere. fac, ut eum teneas un-
dequaque. Doce me quoque sic ar-
dere, Deum tenere; ac ejus amorem:
ita scite ac perseveranter querere, ut
eum inveniam.*

OMNES SANCTI, &c.

Pag. 320.

S. MARIA Silvaducensis, quæ hodie
mutum puerum repente loquendi fa-
cilitate donasti. Doce me tacere, & lo-
qui: ut lingua mea sit sapiens organum
laudis Dei, & tua!

S. MARIA, cui B. Petrus templum
adificavit ibi, ubi tabulam reperit in-
scriptam aureis literis, in hac verba:
Ave MARIA ! Sit cor meum tabula
tua, tibi, à te, amoris auro inscripta !

13 Aprilis. Idibus April.

Sancte Joannes Hermenegilde
Rex, cælestis juvenis, qui à
Rege Ariano patre, collo, ac mani-
bus in carcere ferro vincitus, ipsâ
Paschatis nocte securi percussus,
cerebro effuso, inter cantus Angeli-
cos, collucentibus ad corpus cæle-
stibus lampadibus, felix ad regnum

X 4

omnium